



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola LV. Alexandri Papae III. Ad Episcopos Scotiae. Confirmat
sententiam legati apostolici, qua ille Ioannem legitime electum
confirmavit, & Hugonem a rege in episcopatum sancti Andreae intrusum

...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

Ego Vermus notarius sacri palatii authenticum huius bullæ vidi, & legi, & subscripsi, &c.

EPISTOLA LV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EPISCOPOS SCOTIÆ.

Confirmat sententiam legati apostolici, qua ille Ioannem legitime electum confirmavit, & Hugonem a rege in episcopatum sancti Andreae intrusum deposuit.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus uniuersis episcopis, & dilectis filiis, abbatibus, & aliis ecclesiarum prælatis, per Scotiam constitutis, priori, canonicis, clero & populo sancti Andreae, salutem & apostolicam benedictionem.

COMPERTO nobis, quod iam pridem venerabilis frater noster Ioannes, nunc episcopus sancti Andreae, canonicè fuisset electus, & post electionem suam Hugo (appellatione interposita) in ecclesia illa per potentiam laicalem intrusus consecrari ausu temerario præsumpisset, electionem ipsius apostolica auctoritate cassantes, dilectum filium nostrum Alexium subdiaconum nostrum, sedis apostolicæ legatum, de electione præfati Ioannis cogniturum, ad partes vestras direximus. Qui cum mature fatis, sicut per multorum testimonia nobis innotuit, & canonicè processisset, electionem ipsius canonicam comperiens, post multiplices inducias, in quibus regiæ magnitudini detulit, auctoritate apostolica confirmavit; præcipiens omnibus, qui ad ecclesiam sancti Andreae pertinerent, ex parte nostra, vt ipsi Ioanni sicut electo obedientiam & reuerentiam exhiberent. Vnde, cum nullus propter metum regium in manifesto obedire auderet, idem legatus non regnum, sicut de iure poterat, sed episcopatum interdicto subiecit.

Cum igitur tam ecclesiastici quam sæculares principes a carissimo in Christo filio nostro Vvilielmo illustri Scottorum rege districtius adiurati fuissent de recto consilio dando, firmiter promittente ipso rege quod eorum confi-

lio stare: responderunt omnes tamquam vnus, vt præfati Ioannis consecrationem, coram legato nostro & quatuor episcopis (quinto ægrotante, sed scripto consentiente) celebratam, vltcrius non turbaret, sed permetteret eum in pace in sua sede consecrari. Inde est, quod vniuersitati vestrae per apostolica scripta mandamus, atque sub officii & beneficii pœna præcipimus, quatenus Spiritum fortitudinis induentes, ipsum episcopum infra octo dies post harum susceptionem literarum honorifice, appellatione postposita, ad sedem suam reducat, & pro seruanda ecclesiastica iustitia prudenter & viriliter laboretis, & ad placandum motum regium adhibeatis operam diligentem: atque præfato episcopo omnem exhibeatis reuerentiam, & honorem, quem ipsius prædecessoribus impendistis. Quod si rex aliud voluerit, aut etiam consilio prauorum inclinatus fuerit, Deo & sanctæ Romanæ ecclesiæ magis oportet obedire quam hominibus. Alioquin sententiam, quam venerabilis frater noster Hugo Dunelmensis episcopus in contumaces & rebelles tulerit, nos auctore Deo ratam habebimus, & præcipiemus firmiter obseruari.

EPISTOLA LVI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EPISCOPOS SCOTIÆ.

Hugonis in episcopatum sancti Andree intrusi excommunicationem confirmat.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus & dilectis filiis ecclesiarum prælatis per Scotiam constitutis salutem & apostolicam benedictionem.

RELATVM est nobis, quod cum Hugo, qui ecclesiam sancti Andree de Scotia inuaserat, capellam episcopalem, baculum & annulum, & cetera, quæ irrationabiliter asportauerat, illicite detineret: eum frequentius admonitum resipiscere contemnentem dilectus filius noster Alexius subdiaconus noster, apostolicæ sedis legatus, coram vobis, & clero multo, & populo, nisi infra quindecim dies ablata vel asportata redderet, vel congrue satisfaceret, vinculo excommunicationis, apostolica auctoritate
fretus,